DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,
DE
CAUSIS PRÆCIPUIS, EFFECTUUM TRAGICORUM IN MEDICINA,

QUAM
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. FRIDERICO WILHELMO,
PRINCIPE BORUSSIAE, MARCHIONE BRANDENBURGICO, RELIQUA,
IN ACADEMIA FRIDERICIANA,
GRATIOSISSIMO FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU,
PRÆSIDE
DN. GEORGIO ERNESTO STAHL,
MED. D. EJUSD. ET RER. NATUR. PROFESS. PUBL. ORDINAR. ACAD. NAT. CUR. COLLEG. LONG. DIGN. FACULT. MEDIC. h. t. DECANO SPECTATISSIMO,
DOMINO PATRONO, AC PROMOTORE SUO
omni obſervantiæ cultu ætatem proſequendo,
PRO GRADU DOCTORIS
Immunitatibus ac Juribus in Arte Salutari omnibus More Majorum rite capeſſendis,
Ad d. Jun. M DCC XII. horis ante & pomeridianis
IN AUDITORIO MAJORI
Publico Eruditorum Examini exponet
NATHANAEL Sendel/ Elbinga-Boruſſ.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
LITTERIS CHRISTIANI HENCKELII, ACAD. TYPOGR.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

CAUSIS PRÆCIPUIS, EFFECTUUM TRAGICORUM IN MEDICINA.

QUemadmodum Virtutis atque meritorum fulgidum ſplendorem una ſæpe numero vitii alicujus nubecula obfuſcare valet, ita haud raro evenit, ut ſcientiæ alicujus gloria, quæ admirationem mereatur, uno ſaltem pravo eventu, labatur prorſus atque evaneſcat. Miſſis illis, quæ aſſertum hoc vel centenis exemplis confirmare poſſunt, in præſentia ſolùm in ſcenam producere animus eſt, illam vitæ conſervatricem atque nutricem, Medicinam, quæ, quanto magis ob innumera, quæ corpori noſtro largitur, commoda, maximis in cœlum evehenda eſt laudibus; tanto magis tamen fit, ut non illa artium nobiliſſima ſolum, ſed cultores quoque ejusdem, neſcio quibus ſannis excipiantur, atque peccaſſe dicatur in Creatorem, qui Medico in manus incidiſſet. Quod ipſum quanquam recta interpretan-

di ratione adhibita verisſimum ſit, & cum Sacris Paginis conveniat, non tamen Arti decus ſuum, ſuaque Medico decedit gloria, etiamſi plurimi ſiniſtrè ſatis multa in eadem tentent, & ſe magis cruciatores, quam Conſervatores hominum præſtent. Manet, inquam, ſua Medicinæ laus, quod ab Altisſimo proveniat, manet & ſuus Medico Rationali honor, qui rebus ſuis ſatisfaciens *ſanitatem Populi ſupremam legem* reputat. Cum tamen haud raro, quin potius toto contingat die, ut enormia in Curatione ægrorum occurrant vitia, & ex his EFFECTUS ſiniſtri atque TRAGICI, eorum PRÆCIPUAS CAUSAS præſenti DISSERTATIONE INAUGURALI penitius inveſtigare animus eſt. Cui Negotio dum operam navo, faxit ſupremus ille atque optimus Archiater, ut cuncta ex voto cedant.

§. I.

UT ab initio ordiar, ac decenti ſerie & ordine *Cauſas tragicorum Effectuum* recenſeam, militabunt ante omnia pro me, pauca Divi Senis verba, in quibus autem quot leguntur voces, tot quoque occurrunt oracula. Is vero, poſtquam Medicinæ difficultatem procemii loco deſcripſerat, ita pergit: *Neque vero ſatis eſt ad ea, quæ facto opus ſunt, præſto eſſe MEDICUM, ſed & ÆGRUM & ASSIDENTES, & res externas ad id probè comparatas eſſe oportet. Sect. I. aph. I.* In quibus verbis dum ad feliciter faciendam Medicinam, adeſſe cupit, *promptitudinem* medici, ut & *officia* tùm *ægri*, tùm *adſtantium*, non iniquè agam, ſi *tragicorum* in Medicina Effectuum *cauſas*, ad *neglecta* horum *trium* munia, referam.

§.II.

§. II.

De Primo, *Medici* ſcilicet *officio* dicturus, ſpatioſisſimum dicendorum offendo oceanum, quem tamen quanta fieri poterit perſcindam celeritate. Non vero in eodem prætemavigare poſſum ſcopulos, quorum periculum plurimi magis metuunt, quam experiuntur. Nimirum nemo non veretur, ſe curæ *junioris* cujusdam Medici ſubjicere, eo, quod Experientia deſtituatur, nec adhuc magnum illorum numerum oſtendere poſſit, qui curâ illius è morbo evaſerunt. Urgent plurimi illud *Caroli V: Novi medici nova cœmiteria*; atque id adeò abſolute, ut vel quingentos læſos & ſepultos eidem adſcribant, antequam putent eum curæ ſuæ & aliorum ſufficere poſſe.

§. III.

Qua de re ſi dicendum quod res eſt, non negandum equidem, Experientiam eſſe inſtar lapidis lydii, ex quo cognoſcatur ſitne ratiocinatio vera an falſa: Ipſa & *ſapientia*, *Africanio* Poetæ, citante *Gellio* L. XIII. c. 18. dicitur *filia uſus & memoriæ*; Aſt tamen nimis rigoroſe cum medico *juniore* procederet is, qui affirmaret, illum deſtitui hac ipſa Experientia; ut cui interim Præceptoris ſui, imò tot peritisſimorum antiquiorum Scriptorum, ſufficere poteſt, etiamſi propria adeò prolixa non ſit. Namque perinde ferme eſt ſive propria illa, ſive aliena ſit, modo ratione uti ſciat, ut ſine qua illa mutila eſt atque manca, neque aliter conſideranda, ac ſcapha, quæ in alto absque remige fluctuat. Eſt illa inſtar apis, quæ ſuccum ex omnibus floribus colligit, hæc vero eundem digerit & in proprium ſuccum &

ſanguinem vertit. Sed præter hæc dantur hic alii quibus citius, alii quibus tardius arridet Apollo, & multi jam junioribus annis eam animi fœcunditatem habent, quam alii ſerò demum conſequuntur. Ut taceam, plurima in Medicina maxima agilitate fieri debere, quæ procul dubio felicior cadit in virum florentis ætatis, quam cui plurima mento venerabilis canitie Sylva luxuriat, & cum *Willio* loquar *de Morb. Caſtrenſ. intern. c. 6. p. 65.*

§. IV.

Haud abſimili ratione & is incongruè judicaret, qui omnia quæ in Medicina minus proſperè contingunt, ſemper & ubique Medico adſcriberet. Notavit peſſimum hunc morem jam ſuo tempore, *Hippocrates*, in *Epiſt. ad Democrit.* ita ſcribens: *In arte medica, quæ rectè fiunt, plerumque quidem hominum vulgus non admodum laudat, ſæpe verò diis attribuit; at ſi in aliquo repugnans natura, eum qui curatur, interemerit, Numen prætermittens, medicos incuſat.* Hujus frugi homines, cogitaſſe oportebat, non omnes morbos curatu poſſibiles eſſe, præprimis eos, qui nimia *materiæ* morbificæ, vel *copiâ* vel, *tenacitate* gaudent, vel cum pravitate & *malignitate* maxima, atque *corruptione* partium quarundam corporis, conjuncti ſunt; Imo ipſos *ægros* (de quibus infra copioſius dicturus ſum) intemperantia vitæ vel aliis mille modis ſæpe curam irritam reddere. Hæc niſi adſint, utique *Medicus* medicinæ fine non excidit, dummodo omnia ſecundum rationem anniſus eſt; quæ elegantiſſimis verbis exprimit *Cicero de Natur. Deor. II. 4.* ita ſcribens: *Ne ægri quidem, quia non omnes convaleſcunt, id-*

circa

circa ars nulla medicina eſt. Nam & gubernator vult ſalva nave in portum pervenire: ſi tamen tempeſtate fuerit abreptus, non ideo minus erit gubernator, dicetque notum illud, DUM CLAVUM RECTUM TENEAM. Pro tali igitur malevolorum hominum judicio non aliud ſupereſt medicis remedium atque ſolatium, quam mens nullius mali *conſcia*, & recta *ratio*, à qua non decedendum, etiamſi non omnia ſemper ex voto ſuccedant, uti rurſus id innuit *Hippocrat. aph. 52. ſect. 2.*

§. V.

At enim vero plane alia res eſt medicorum *perſonatorum*, uti eos *Hippocrates* vocat, id eſt, eorum, quos Ignorantia pro medicis habet, quique videntur, non vero ſunt; vel uti interpretatur *Langius* L. I. ep. 1. qui ſimiles ſunt iis, qui in Tragœdiis inducuntur. *Ut enim hi Ludiones figuram, faciem & ſtolam referunt ejus, cujus perſonam ajunt, ipſi autem vere non ſunt illi; ita & pſendomedici veſte holoſerica, annulis, rubroque pileo decori, falſa & ficta artis oſtentatione apud ignobile vulgus indoctosque proceres, titulum perſonamque medici ſibi vendicant, quam ſi illis exutis ademeris, ſub illorum perſona aut Judæum perfidum, aut Monachum Apoſtatam, vel omnium bonarum artium ignarum Parochianum, ac id genus farinæ hominem latere animadvertes, qui nihil non audent, quo ab afflictis ægris per fas & nefas pecuniam emungant.* De quorum fraudibus, imo exitio in Rempublicam non fas erit multa hic diſſerere, cum ſatisfecerint *Primoroſius de Erroribus vulgi in Medicina. Rodericus in ſpec. vit. human. Laudatus Langius Epiſt. 1. & 2. Camerar. in Memorabil. Med. Cent. I. p. 52.* Et quanquam forſan aliquando opem quandam tulerint ægrotis, valet tamen ſemper in curatione

tione illorum illud *Celſi: quos ratio non ſanat, temeritas aliquando juvat*; Vel illud ſaltem omni exceptione majus eſt, didiciſſe illos, quicquid præſtant; cum damno aliorum, quemadmodum hujus notæ hominem Empyricum refert *Freitag Noct. Medic.* c. 5. qui acu ſuffuſione laborantium oculos pungens, interrogatus, qua ratione ad hanc artem perveniſſet, reſpondit: ſe antequam didiciſſet vel pileum plenum oculorum tentando & experiendo effodiſſe.

§. VI.

Hos excipiunt Medici illi, qui, licet in Academiis in Doctores proclamentur, juribusque omnibus Medicorum donentur, his tamen honoribus indigni ſunt, neque id præſtare poſſunt, quod nomine medici præſtare debebant. *vid. Primoroſius* l. c. L. 1. c. 2. Valet penes hos illud *Sidon. Apollinar. L. 2. Ep. 12.* prolatum: *ſunt Medici quidam parum docti, ſed ſatis ſeduli, qui languidos multos officioſiſſime occidunt.* Quorum errores atque nævos quam apprime exprimit *Baco de Verulamio de Augment. Scient. L. IV. p. m. 110.* his verbis: *Etſi autem ex opera medicorum quotidiana, quam inviſendo, aſſidendo, præſcribendo, ægrotis præſtant, putaret quispiam, haud ſegniter illos curationem perſequi, atque in eadem certa quaſi via inſiſtere; tamen ſi quis ea, quæ præſcribere & adminiſtrare ſolent medici, accuratius introſpiciat, inveniet pleraque vacillationis & inconſtantiæ plena, & quæ ex tempore excogitentur, & in mentem illis veniant, absque certo aliquo præviſo curationis tramite.* Atque hoc quidem promptitudinis & officiorum pallio ignorantiam ſuam tegunt; imo amplius, dicunt quoque & agunt quævis in gratiam alienam, adulantur, divites & primarios

cives

cives officioſiſſime ſalutant, comitantur poſtmodum, domumque reducunt, coenantibus inſuper ſatellitum inſtar adſtant, ſcurraſque agunt, loquente ità *Livio de Præcognit.* c. 1. Quidam horum quoque pereleganter callent res novas narrare, atque inſuper peregrinatione ſua (quam jactitant) acquiſita notitia, gentium mores recenſent, novas montium, aquarum, animalium ſpecies oſtendunt; in quos tamen quam maxime illud Senecæ quadrat: *ÆGRO MEDICINA, non regio quærenda eſt.* Et tales quidem, his artibus efficiunt, ut advocentur ad ægros; his omnia plana ſunt & pervia, his fores ædium patent, hi brevi efficiuntur divites, plurimumque poſſunt, etiamſi alias veritatis inquiſitionem averſentur, & potius pecuniam & civilem potentiam, & inexplebiles voluptatum delicias ſuſpiciant, quemadmodum prolixius de illis conqueritur *Galenus initio methodi.* Aſt verò, quam ægri tales ſe lupis committant, quivis facilè videt, cum, monente *Celſo*, morbi non eloquentiâ, ſed remediis, curentur, neque in nitore atque cultu, medicinæ vis conſiſtat. Præſtaſſet potius cum *Japide* apud *Virgil. l. 12. Æneid. v. 397.* hanc artis gloriam capere. Is vero

Scire poteſtates herbarum, uſumque medendi
Maluit, & MUTAS agitare inglorius artes.

Sed horum omnium vitia, jam preſſius, tecto licet nomine perſtringenda erunt.

§ VII.

Omnium vero vitiorum quæ in Medicum ullo modo cadere poſſunt hoc eſt communiſſimum atque maximum, ſi ille cognitione cùm *Hiſtoriæ morbi*, tùm *Methodi*

 thodi

thodi medendi, deſtitutus eſt. Quodſi enim morbum, ſi mores ejus, genium atque cauſas ignorat, irritis utique telis eundem debellabit; & ſi vel maxime eundem norit, neque tamen ei recta ad manus ſunt arma, quid aliud faciet quam imprudens belli dux, qui non cognovit hoſtis ſupervenientis robur atque arma, neque etiam armis ſuorum militum uti ſcit? vincentur, & Medicus & Dux, ab hoſte, qui vel ignominiæ vel mortis vincula parata habebit. Equidem promittit ſibi quivis facile Hiſtoriam morbi; quæ tamen ſi inſpiciatur penitius, adeo craſſa eſt, & aliis rebus referta, ut huc quadrent verba illa, quæ Laudatus modo Baco de Verulam. de Hiſtoriæ Naturalis promiſſoribus, ita expreſſit: *Satis ſcimus, haberi Hiſtoriam Naturalem mole amplam, varietate gratam, diligentia ſæpius curioſam: attamen ſi quis ex ea fabulas & autorum citationes, & inanes controverſias, philologiam denique, & ornamenta, eximat, (quæ ad convivales ſermones hominumque doctorum noctes potius, quam ad inſtituendam Philoſophiam ſunt accommodata) ad nil magni res recidet. Longe profecto abeſt ab ea Hiſtoria, quam animo metimur.*

§. VIII.

Atque hic quidem quam maxime eſt neceſſarium, morbos omnes ad certas ſpecies referre, cum mira eorundem varietas vel peritiſſimum aliquando confundere poſſit. Ita ſæpius novi, febres tertianas continuas, pro intermittentibus eſſe habitas, unde ægrotantes aleam ludentes cum ipſo Medico vel ipſo præſente atque id non opinante, perierunt. Deinde & illud valde expedit Hypotheſin ſuam Philoſophicam, non adeo mordicus tenere

nere, cum illa errorum quam plurimorum mater & olim exſtiterit, & adhuc exiſtat, prohibueritque quo minus naturalia phænomena, à cerebrinis diſtingui potuerint. Tandem quoque morborum peculiaria & *propria* phænomena, ab *accidentalibus*, ſeparari debent: Cum horum multa inducat ſæpe ipſe medicus, medicamentis ſuis, vel ipſe etiam æger, diæta. Denique probe penſitandæ ſunt anni temporumque conſtitutiones, ut quæ vel huic, vel alii morbo magis favent, quod vel omnium accuratiſſime obſervavit Divus Parens Noſter, quando omnes illos morbos longa ſerie recenſuit, qui vel vere, vel æſtate, vel autumno vel denique hyeme, magis ingruere ſolent. Omnia hæc ſi bene diſquireret & prævideret Medicus, certè minùs ſibi, vel ægrotis, noceret: verum, utut illa inquiſitio nobilisſima ſit, ita (ut Socrates ait,) natatore Delio indiget, ne mergatur in profundo. Perplacent enim plurimis magis, longinquæ ſubtiles diſquiſitiones, nihil ad rem facientes, neglectis cauſis morbificis, iisque proximis & conjunctis, quibus obviam eſt eundum. Id vero qui faciunt, & magis cauſas quærunt ſenſibus noſtris imperſcrutabiles, & ex particularum figura ſecundum Philoſophiam Gaſſendicam petendas, illi haud dubie à recta via deflectunt, imo artem non curandi ſed confabulandi ſciunt.

§. IX.

Cum itaque Cauſæ hæ, quæ intellectu noſtro cognoſcuntur, ſenſuumque teſtimonio ſe ſiſtunt, quàm optime Anatomiæ ope detegantur, facile quivis videt, quam neceſſarium ſit hujus ſobrium exercitium; ut ad-

eo mihi ſomniare ſi non delirare videantur illi, qui cum *Helmontio vel Paracelſo* eam circeo oculo ſugillant. Certe ipſemet *Helmontius*, etiamſi in Tractatu quem *Ignotum Hoſpitem Morbum* appellat, ſtabilire conatus ſit, nullum Anatomiæ eſſe uſum in curandis morbis; tamen alio in loco nempe Tractatu *de Flatibus* contra priorem defenſionem fatetur, illam gravem ſui ipſius ignorantiam detexiſſe in volvulo, ut, cum anteà multos hoc morbo perire paſſis ſit, poſtea neminem eodem mori ſiverit. Simili ratione, cum in peſte Medicum egiſſet, neque cauſas vomitus atrocis, quo multi peſte infecti cruciantur cognoſcere poſſet, ex anatomia optime cauſam cognovit, & in Sectione hominis peſte defuncti deprehendit ventriculi internam tunicam eſcharoticam, hoc eſt, cruſtulis obductam, quales poſt excoriationem vel exulcerationem cutis à rodente materia conſpiciuntur; ex qua obſervatione deinde multa alia notata ſunt. Præter hæc, in aliis caſibus, & præprimis in hydrope, fatetur, cultrum anatomicum optima demonſtraſſe; & vel meſenterium, vel hepar vel ventriculum, malè affecta fuiſſe: inſuper & alibi aſſerit, pulmonem coſtis innatum aſthma non inferre. Unde cum tantus ejus uſus ſit, merito conjicias ex neglectione ejus plurima quoque mala in ægrotos redundare, ut rectisſime ſenſerit *Guil. Harvæus* quando dixit: quod una diſſectio hominis, tabe inveteratâ, aut veneno, defuncti, plus commodi conferat Medicinæ, quam mille deliramenta otioſi ingenii, qualia protulit Paracelſus & Helmontius. Aſt, quoniam pauci dantur *Bartholini & Ballonii*, qui inter vitæ delicias reputent, cadavera rimari, plurimi etiam

iam non ſas ducant elegantes commaculare manus, imo ipſa anatomiæ fata ſemper infelicisſima fuerint; hinc fit, quod multi in obſcuro, plurimi etiam plane in tenebris, morbos cognoſcere conentur. Quam vero illa ſectio perneceſſaria imò perdifficilis etiam ſit, ipſe notat *Galenus Lib. I. de Loc. Affect.* ita ſcribens: *Partes quæ in intimo corpore latent, exercitatum ratione virum deſiderant, cum in partium actionibus & utilitatibus, tum vel maxime in præcedentibus eos corporum diſſectionibus; quippe hæ nos docuerunt cum alia per multa, tum cujuslibet partis proprietatem.* Idem illud eleganter exprimit *Fernelius Præfat. in L. V. Pathol.* his verbis: *Equidem nullum unquam plane cognitum penitusque perſpectum morbum eſſe putarim, niſi compertum habeatur, & quaſi oculis cernatur, quæ in humano corpore ſedes primario laboret, quis in ea ſit affectus præter naturam, unde is procesſit, utrum in ea ſede genitus* κατὰ πρωτοπάθειαν, *an aliunde profectus* κατὰ συμπάθειαν, *an denique cauſa aliqua interior illum foveat.* Ut adeo incidere mortuorum corpora & neceſſarium ſit dicente *Celſo*, & ſexcentos errores committat is, cum totidem effectibus tragicis, qui eandem negligit, annotante iterum *Galeno 3. & 4. de anat. adm. c. 1.*

§. X.

A morbi Hiſtoria ad *Medendi Methodum* procedo. Hujus vero concatenata ſeries ita implicata eſt, ut, ubi nexus incipiat, quove ſe condat, nec ratione nec viſu percipi poſſit, cum in hunc usque diem conſummatam, & omnibus numeris abſolutam, deſiderent prudentiores medici, & quibus de meliori luto præcordia finxit Titan. Interim eo ire debet quivis quo poteſt,

quove via patet, ne vel intempeſtive aliquid moveat, vel in fine quærat, quod primo ponendum erat loco. Huc faciunt egregia *Senecæ* verba, quamvis non à medico prolata. Is vero ita *Lib. 1. de Ira c. 5.* inquit: *Medicus primo in levibus vitiis tentat non multum ex quotidiana conſuetudine inflectere, & cibis, potionibus, exercitationibus ordinem ponere, ac valetudinem tantum, mutata vitæ diſpoſitione, firmare: proximum eſt, ut modus proficiat. Si modus & ordo non proficit, ſubducit aliqua & circumcidit. Si ne adhuc quidem reſpondet, interdicit cibis, & abſtinentia corpus exonerat. Si fruſtra molliora ceſſerunt, ferit venam, membriſque, ſi adhærentia nocent & morbum diffundunt, manus affert,* (addo & ferrum & ignem) *nec ulla dura videtur Curatio cujus ſalutaris effectus eſt.* Neque multum aliter hæc à Medico *Galeno* ipſo proferuntur, qui hunc in modum *Lib. I. meth. Med. c. 4.* ſcribit: *Methodo quippiam inquirere invenireque eſt via quadam & ordine ita procedere, ut in diſquiſitione aliquid primum ſit, aliquid ſecundum, & tertium, & quartum, atque ita de reliquis omnibus deinceps, quoad demum ad ipſum, quod ab initio eſt propoſitum, ſit perventum.* Aſt, ſi his omnibus vel ſusque deque habitis, vel plane non intellectis, turba Medicorum, ægrotantibus præmiſſa V. S. vel corpus purget, vel per anum, clyſmate, materiam morbificam ſubtrahere ſatagat, adhibitis hinc inde & cordialibus & ſudoriferis: Hæc quidem Medicamenta, etiamſi pro indicantium ſuaſu optima ſint; tamen citra rationem adhibita, ſæpius imo ſemper, nullum ægro afferunt levamen, imo haud raro ipſam mortem inferunt, deficiente ſcopo, quo collimare debebat Medicus. Qui-

dam uno eodemque modo, (quod plures neſciant) omnes morbos curare volunt, & cuivis ægro ſpecioſo Bezoardicorum titulo, vel Eſſentiam Bezoardicam, vel pulverem Bezoardicum, cum potione analepticâ, porrigunt; nihil aliud inſuper moventes, licet alvus novem dierum ſpatio non reſpondeat: Quam vero inconditam Methodum qualis ſequatur exitus tragicus, multi referre poſſunt. Non enim una laborat natura, neque adeo omnibus ægris eadem auxilia conveniunt, & operationes effectusque, qui à Medicamentis ſperantur, non ab his tantum, ſed partim ab ipſis, partim etiam à Corporum noſtrorum conſtitutione, ſive natura, dependent: aut, quod vulgo dicitur, Medicamenta non ſimpliciter ad modum activitatis, ſed receptivitatis ſuæ, agunt, & repugnante natura nihil proficit Medicina, quemadmodum egregie loquitur Illuſtr. Tzirnhauſen *in Med. Ment. & Corp. reg. X.*

§. XI.

Equidem dantur Morbi, in quibus Natura omne abſolvit punctum. Obducit enim illa vulnera citatrice, ſanat ulcera, facit fracturas coire, curat multos morbos præcipue acutos; imo derelictos ſæpe à Medicis, reſtituit feliciter. Verum cum non ſemper ejus opera abſoluta ſit atque perfecta, adjunctus eidem eſt optimo DEI T. O. M. conſilio, Miniſter, vel ſi mavis Conſiliarius, qui eam agere permittat, ubi bene agit, regat vero & corrigat, ubi male. Et hic quidem opus ſuum bene agere, cautum & exquiſitum requirit Miniſtrum. Deſcendamus ſaltem paulisper ad Febres earumque curandi rationes, in quibus maxime Medici opus pruden-

dentiſſimo Conſilio atque Miniſterio. Sunt autem hæ nihil aliud quam naturæ inſtrumentum, uti loquitur *Sydenhamius*, quo illa partes impuras à puris ſecernit, licet in principio non adeo ſucceſſibus proportionatis, evidenter id fiat, quam ad finem usque: ubi vel per cutis ſpiracula, vel alvum, vel renum tubulos, copioſe ſecernuntur impuritates. Nemo non igitur videt, in iis motum ſanguinis ita debere moderari, ne ubi plus juſto excitatus eſt, excitetur magis; ubi veto languet, moderetur atque cohibeatur. Sed quanti quæſo hic errores paſſim curationem comitantur! Non deſunt enim, qui in principio ſtatim motum à natura inſtitutum reprimere omnibus modis conantur. Alii vicisſim in contrarium agunt, & audito ſolum febris nomine poſthabita inquiſitione indolis morbi, atque naturæ ægroti ad medicamenta calida & exagitantia ſudorifera confugiunt, promoturi per ſudorem quod malignum in corpore reſtitat. At vero, quemadmodum illam methodum pericula comitantur ſat gravia, quæ multos ægros portis mortis admovent; ita & immaturas has & vehementes ſanguinis commotiones, placidum morborum typum in præceps agendo, ſanguinem nimium turgefaciendo, magnas anxietates inducendo, corporei itidem motus, & animi intentionum typum pervertendo, maturè & feſtinanter homines in lethalem exitum agere, longa experientia teſtatur *Magnificus Dn. Præſes Fautor atque Promotor meus ſingulari animi cultu colendus in Obſerv. Chymico Phyſico Medic. Menſ. XI. de Febre Epidem. petechizante.* Sed ſi vel maxime per diaphoreſin morbum vinci poſſe concedam; non ne tamen rationalis medicus

cus eos deſiderare debet ſudores, qui prævia morbi digeſtione, morbo jam fatiſcente, prorumpunt; non vero illos, qui primis morbi diebus protruſi, ab interrupta errantis naturæ oeconomia naſcuntur? uti caute monet *Sydenhamius Sect. V. c. 2. pag. m. 282.* Cum igitur hæc agere, ſit contra naturam agere, cum judice *Hippocrate Epid. 2. 9. febres acutæ fere omnes naturæ beneficio judicentur*, quanto feliciores judicandi ſunt illi, qui re anguſta preſſi non habent, quo Medicum talem adire poſſint: Nam hi ductu naturæ placido, vel cereviſia tenui adhibita, vel etiam ſola aqua reſtituuntur feliciter, cum contra alii ditiores contra naturæ ductum curati, pereant infelicisſime. Ut hic etiam multum valeat illud *Celſi*: Multi magni morbi curantur abſtinentia, & quiete.

§. XII.

Neque vero in his ſolum morbis Naturæ motus probe obſervandus eſt, quando, ubi & quomodo morbus vinci debeat, vel quibus viis is eliminandus ſit; ſed id quoque in plurimis Chronicis fieri debet, cum neglecta hac cautela, vel centena exempla Tragicorum effectuum ſequantur, quæ ſi referre omnia, & cujusvis in ſpecie vitium oſtendere vellem, augiæ ſtabuli repurgationem ſuſciperem. Inſtituit vero ſuos motus ſuasque criſes benefica natura, ut cum à morbis præſervet, tum quoque ut ab illis liberet. Produco exempli loco, utque hæc res melius confirmetur, fluxum quem vocamus hæmorhoidalem. De hoc Prognoſis Divi Parentis noſtri ita ſe habet: *Mariſcis laborantes neque morbo laterali, neque pulmonario, neque phagedæna, neque furunculis,*

neque therminthis, fortaſſe vero neque lepris, fortaſſe neque aphthis laborant. 6. Epid. Sect. 3. t. 37. Idem hunc ipſum fluxum ſi ſuperveniat ſubjectis morboſis ut Melancholicis, Nephriticis, Hypochondriacis, Arthriticis atque renum vitio affectis bonum pronunciat *6. aph. 11. & 21.* cujus prædictionis veritatem omnes adhucdum ſaniores Medici agnoſcunt. Nempe ab arthritico dolore Cornelium Zuzium Hollandiæ Præſidem apertis hæmorrhoidibus liberatum fuiſſe obſervavit *Foreſt. L. 23. obſ. 4.* Similiter in gravisſimo renum dolore, cum jam æger pus, ſanguinem & craſſam pituitam emingeret, hæmorrhoides dolorem in momento ſedaſſe Autor eſt *Amat. Luſitanus.* Quibus obſervationibus reſpondent aliæ quamplurimæ, quæ leguntur apud *Fabric de Aquapendente IV. f. III. Losſium L. III. Obſ. 24. Thoner. L. IV. Obſ.* ut adeo inſtar omnium notari mereantur verba illa quæ l. c. *Fabric. de Aquapend. ſcribit*: Hæmorrhoides in omnibus fere ſimilibus morbis tum præcavendis tum curandis prærogativam obtinere, primumque locum habere, imo hanc evacuationem eſſe magis quam per V. S. affectandam, auſpicandam, & explendam. Et id circa admiratio, imo dolor atrocisſimus me ſcribit, quando cogitatione perpendo, Nephriticum quendam, cui in maximo dolore hæmorrhoides aperiebat ipſa natura, terræ mandatum eſſe, cum eas in momento ſiſtendas cenſeret, & imprudens Medicus, & Chirurgus, dignum alias, ut vel unguibus è terra à me erueretur, ſi vivum conſpicere liceret. Similia mala ex ſuppreſſis hæmorrhoidibus legi poſſunt apud citatos Autores, quibus jungatur *Petrus Munavius*, qui de ſe ipſo ad Cratonem Epiſt. 236. ſcribit:

bit: ſe à ſuppresſis hæmorrhoidibus quæ antea fluxerant in arthritidem incurriſſe. A ſuppreſſione illarum in ſcorbuto mortem ſequutam notarunt quoque *Ephem. German.*

§. XIII.

Atque ita ſe quoque res habet in ejusmodi aliis morbis, quando Medicus Legum motus ut ita dicam ignarus eſt, & vel repellit, quando expellere, vel expellit, quando reſiſtere natura cupiebat. Quodſi hic arthriticos contemplari animus eſſet, qui naturâ ad exteriora morboſam materiam expellere inclinante, repellentibus tamen frigidis tractati ſunt, tum certe numerus Tragicorum effectuum innumerus foret, de quibus in compendio legi poteſt *Drabizius de Scorbut. Tit. de arthrit. p. 62. ſeq.* Confer. *Wedelius* in Facult. Medicament. qui his ipſis tophos generatos, atque ex vaga fixam factam eſſe arthritidem, frequenti experientia teſtatur. Obſervavit quoq; *Hagedorn Cent. I. hiſt. 28.* Mercatorem cui in tumore tali ſcorbutico epithema ex aquis deſtillatis, cum Ceruſſa & Camphora applicatum fuit doloris ſedandi cauſa, loquelam amiſiſſe, neque brachium amplius movere potuiſſe. Et qualia non mala à ſcabie retropulſa hinc inde præſtant apud obſervatores? Communiſſima, ut ſunt febres acutæ & malignæ, convulſiones, aſthmata, aliaque narrantur in *Ephem. Germ. Dec. II. ann. I. p. 93. & Dec. II. An. V. p. 451.* Cæcitatem inde ortam notavit alius in *Ephem. Dec. II. A. VIII. p. 255.* item gangrænam & ſphacelum cum magna ſalivatione ab inunctione mercuriali proveniſſe autor eſt *Hœchſteter Obſerv. Dec. III. caſ. XI.* Atque ita vice quoque verſa cautela maxima adhibenda

eſt

eſt cum Emollientibus, quibus tumores induratos molles reddimus, atq; materiam ibi contentam ſtagnantemque evacuamus. Sunt namque quidam tumores, præſertim qui de acrimonia participant, ita comparati, ut parum lædant quousque occulti ſunt, ſimulac vero pinguibus iſtis exacerbantur, eructent magis magisque omne virus ſuum, quod vel unicum demonſtrat exemplum, quod affert *Wierus in Obſervat. pag. 95.* Facit huc aureum illud *Galeni L. V. de ſimpl. med. facult. c. 9.* annotans: *Cancrum & cancroſos tumores ab emollientibus Medicinis exaſperari.* Ut adeo iterum iterumque quam maxime notanda verba *Fernelii* exhibeam, quæ leguntur *Præfat. L. 1. Therapeut. Felix Medicatio eſt, cui adjutrix natura ſuccurrit, irrita verò, quæ repugnante natura tentatur, & Medicinæ leges Naturæ legibus conſentaneæ eſſe debent.*

§. XIV.

Reſtat, ut de Medicamentis ipſis jam quoque aliquid differam. Nam ſi vel maxime ſcias, quis ſit morbus, quæque medendi methodus illi ſit congrua; tamen circa ipſius medicamenti applicationem atque uſum errare poteris toto die. Atque hic error vel ignorantiam in Facultatibus Medicamentorum vel malam eorundem Præparationem, vel pravum denique & intempeſtivum Uſum comitatur.

§. XV.

Et illam quidem inſcitiam in Medicamentis ſimplicibus eorumque facultatibus jam olim multi repræhenderunt Viri in Medicina maximi. Unius citationis loco in præſentia mihi ſufficiat autoritas *Galeni* ita dicen-

centis *L. 3. de comp. Med. c. 2.* *Quisquis auxiliorum undique copiam habere volet, omnis materiæ ſtirpum, animantium & Metallorum, tum aliorum terreſtrium corporum, quæ ad Medicinæ uſum ducimus, expertus eſto, ut ex eis exacta & notha cognoſcat: niſi enim hoc modo ad præſentis operis præſidia veniat, verbotenus quidem medendi methodum ſciet, opus vero nullum ipſa dignum perficiet.* Atque ita ſane eſt: Nam ut taceam nunquam felicem effectum curationis à tali Medico eſſe exſpectandum, id quoque haud raro contingit, ut unum pro altero imprudenter interdum colligatur, & noxam inferat.

§. XVI.

Quid vero amplius dicam de Medicamentis compoſitis, vel eorundem præparandi modo, quem *Chymia* & *Pharmaceutica* docet. Cum enim quam plurima dentur Medicamenta generoſi effectus, utique par erat Medicum noſſe nimiam eorum acrimoniam vel vaporoſitatem corrigere. Præbet inter multa alia hujus rei exemplum Helleborus niger, qui niſi recte corrigatur, effectus maxime funeſtos inducere ſolet, quorum duo præcipua exempla ex *Timæi Obſervat. Medicinal. L. VII. Caſ. VI.* ipſis autoris verbis recenſere placet, quæ ita ſe habent: *Memini Chirurgum quendam Caſtrenſem Equitum Magiſtro quartana decumbenti Extractum Hellebori nigri mane exhibuiſſe, & ſub veſperam ejusdem diei hypercatharſi & convulſionibus extinctum fuiſſe. Et paucos ante annos Dn. Andreas Cnöffelius ob curationem podagræ quam jactitabat celebris, Civi cuidam Dantiſcano Extractum Hellebori in forma potiunculæ dederat, qui intra ſeptem horarum ſpatium mortuus eſt, ut ipſe fatetur Cnöffelius in Epi-*

ſtola ad Pharmacopœum Gedanenſem Placotomum. Ubi ipſam Epiſtolam recenſet Autor, in qua Pharmacopœum, ſed poſt feſtum rogat, ut ſpiritu vini Extractum præparet, cum jam jam didiciſſet (morte aliorum) alias extractiones omnes eſſe ſuſpectas. Pariter novi non procul Wittebergæ quendam Virgini Nobili tenerrimæ conſtitutionis, ad imitationem forſan ruſticorum propinaſſe in ſubſtantia pulverem colocynthidis, quo asſumpto illa poſt diuturnas, denique etiam cruentas alvi dejectiones omnibus viribus deſtituta ad hecticam diſpoſitionem redacta eſt, pauca ſaltem ſpe de ſanitate relictâ. Non hic prætereundum eſt, quæ ex Pharmacopœorum inepta Medicamentorum præparatione vel diſpenſatione mala in ægros redundare poſſunt. Ita ni fallor memini, me in quadam *Celeberr. Dn. D. Hoffmanni* Diſſertatione legiſſe, hic Halæ virgini cuidam loco nitri antimonii à medico hactenus cum fructu præſcripti, porrectũ eſſe vitrum antimonii, quo aſſumpto horrendis Symptomatibus diem obire debuit ſupremum. Valet & de cæteris Antimoniatis hoc periculum. Niſi enim illa recte fixata ſint, & v. gr. Antimoinũ diaphoreticum puerperæ contra dolores poſt partum exhibeas, à congrumato ſanguine ortos, vel in febribus malignis, ubi omnis ſpes & ſacra ut dicunt anchora in leni diaphoreſi conſiſtit, tum inquam, niſi illud recte præparatum ſit, ſed potius uti tum ſolet, per ſuperiora & inferiora purget, miſerrimè agetur de miſellis iſtis ægrotis. Similiter qui effectus funeſti ex Mercurio dulci minus recte præparato orti ſint, novit univerſus mundus, & exempla ſatis triſtia notata ſunt in *Ephem. Germ. A. I. obſ. 54.* Quod ipſum quoque

de

de cæteris Mercurialibus ſentiendum, & vel ipſe ſpecioſus Mercurius vitæ interdum Mercurius mortis exiſtit. Ex quibus omnibus illud colligas oportet, vel ipſam præparationem Medicum decere, vel in id ſaltem initi debere, ut, quæ à pharmacopola præparantur medicamenta, inſpiciat, ſint ne bene an male parata. Non enim repræhendendus eſt Medicus, licèt illud opinione vulgi jam in dedecus abierit, qui ipſe præparationi Medicamentorum operam navat; præſertim cum non puduerit Medicos antiquos & Galenum ipſum hoc facere atque ſingula artis opera peragere. Quodſi vero id ob concatenatos quos circa viſitandos ægros habet labores præſtare non posſit, ſaltem id agat, ut ipſe ſingularia & eximia remedia præparet, quantum id absque detrimento rerum aliarum neceſſariarum facere posſit, uti loquitur *Bruno Seidelius* de Morb. Incurabil. p. 56.

§. XVII.

Neque tamen & hoc rurſus ſufficit, conſtare tibi debitam Medicamenti præparationem; nam adhibendi ejusdem tempus, & modus, iterum omnem rem variare, & vel bonum, vel triſtem eventum inferre posſunt. Quod enim gladius aut culter eſt in manu furioſi, id Medicamentum præprimis generoſum eſt in manu imperiti. Facillimo namque evenit negotio, ut, quod huic divinam opem præſtitit Medicamentum, in alio, cui poſthabita ratione adhibitum fuit, celeberrime hiſtoriam morbi fatali eventu abſolvat. Et hujus tenoris ſunt præcipue Medicamenta Purgantia, Vomitoria, V. S. Mercurialia, Opiata &c. quorum indicationes niſi diligenter noſcas, neque circa ipſum Medicamentum

tum certus ſis ubivis funeſtum exitum inducere poteris.

§. XVIII.

Reprehendendi igitur hic ſunt illi, quibus magno in uſu eſt ſtatim ad Purgationes confugere. Præterea enim quod vi ſua plerumque cauſtica & ſeptica erodendo atque inflammationes excitando, quam maxime perniciales ſint, non tam debilioribus, ſed quoque robuſtis; tum & id præſtant, quod humores ex una parte in aliam impetuoſe commoveant, ſanguinis circulum placidum turbent, eumque debita craſi atque ſpiritu deſtituant, atque adeo plurima Symptomata inducant. Obſervavit tale Exemplum *Becherus in Phyſ. Subter. L. I. ſect. 5. c. 1. n. 21.* in viro Illuſtri, qui juſto violentius purgationibus evacuatus, unius pedis mortificationem & ſanguinis revulſionem paſſus eſt, qui tandem plane quoque gangrænoſus factus eſt, moriente poſt paucos dies ipſo ægro. Huic ſimile tragicum exemplum habet *Williſius Pharm. rat. ſect. III. c. 1.* qui refert duos Oxonienſis cujusdam viri filios pulverem catarcticum accepiſſe, quorum prior hauſto illo ſpatio 48. horarum centies maximis torminibus purgatus fuit, alter vero ætate parum provectiore in hæc incidiſſet pathemata leproſa, non ſuccedente alvo: Nigrarunt illi ungues, capilli deciderunt, brevi puſtulæ aquoſæ toto eruperunt corpore, quibus in cruſtas ſcabioſas induratis ſemper novæ ſucceſſerunt, adeo, ut hoc modo vitiata ſanguinis craſi vix ante biennium adhibitis remediis redire potuerit ad ſanitatem. Taceo alia exempla alioſque modos, quibus cruciati ægri purgantibus his tandem Di-

arrhæa

arrhæa & dyſenteria lethali obierunt, de quibus confer. *Ephem. Germ. Dec. III. A. IV. obſ. II. Bohn. de offic. Med. duplic. c. 13. p. 267. Dolæus Encyclop. Chir. Lib. V. c. 9. §. 19.* Neque vero his ſolum fortioribus purgantibus hæc mala debentur, ſed vel ipſa ſcammoniata, & quæ ex Gialappa fiunt medicamenta, id præſtare poſſunt, quando vel non debito tempore, doſi, imò patientia à Medico offeruntur. Violenter enim multi præprimis in chronicis ſuſcipiunt curas, & quando una vice non ſuccesſit purgatio, ſtatim eidem maxima doſi inhærent, vi effecturi, quod natura favore ſuo præſtare nollebat. Eſt canon in curatione Hydropicorum: Hydropici aut fortiter, aut plane non ſunt purgandi; Huic annixi imprudentes Medici multos hydropicos in vitæ diſcrimen conjecerunt, cum haud raro factum ſit, athletico habitu conſtitutos, vel levi purgante exolutos, & in hypercatharſin deductos eſſe. vid. *Sydenh.* de Hydrope. Ex quibus omnibus perquam caute agendum eſſe cum Purgantibus exiſtimo, nec adhibenda eſſe facilè, niſi recta ratio & indicantium ſeries id ſuadeat, quod illis notandum eſt, qui perſæpe præſervationis gratia his utuntur, contra Hippocratis ſuaſum, qui ſcribit purgationem illis periculoſam eſſe, qui ſunt integra valetudine. Sect. IV. aph. 16. Eleganti namque experimento ſtatico *Sanctorius à Sanctorio in Medicina Statica Sect. I. §. 48.* hujus rei veritatem illuſtrat quando ſcribit: Medicamentis purgantibus remotiores corporis partes attingi, & corpus magis leve fieri; cibum etiam atque potum ſubſequentem implere eosdem meatus, inde alvum & veſicam exſiccari, & paulo poſt corpus ponderoſius reddi; quæ tamen omnia

mnia de Caſſia non intelligit, quam, quia blanda eſt, non evertere vires, non lædere tranſpirationem, eodem loco aſſerit.

§. XIX.

De Vomitoriis ſi latius dicerem, quam quidem de purgantibus factum, non ſufficeret tempus: Quapropter de his ſolum Cautelas commendo, quas habet *Bohn.c.l.c.14. p.279.* qui ipſe quoq; Cap. anteced IX. damna recenſet, quæ ſequuta ſunt poſt V. S. minùs ritè inſtitutam. De Mercurialibus ſupra dixi, quæ ex eorum ſiniſtra præparatione mala oriantur; de præpoſtero uſu idem ſentiendum eſſe nemo non videt. Addam ergo ſolummodo quædã de Opiatis eorumque tragicis eventibus, quos eo magis mireris hæc Medicamenta ſequutos, ut quæ maximis à celeberrimis autoribus mactantur laudibus. Ita enim inquit *Sydenham. de Febrib. Sect. III. c. 3. p. 230. Profecto non hic mihi tempero quin gratulabundus animadvertam Deum omnipotentem πάντων δωτῆρα ἑάων non aliud remedium, quod vel pluribus malis debellandis par ſit, vel eadem efficacius exſtirpet, humano generi in miſeriarum ſolamen conceſſiſſe, quam ſunt Opiata.* Poſt pauca addit: *Ita neceſſarium eſt in hominis periti manu organum, jam laudatum Medicamentum, ut ſine ullo manca ſit, ac claudicet Medicina, qui vero eodem inſtructus fuerit, majora præſtabit, quàm quis ab uno remedio facile ſperaverit.* Atque ita & alii ſentiunt Medici, & plurimi illud opium cum *Hartmanno* magnum arcanum in Medicina vocant, vel cum *Williſio* eo artem carere non poſſe aſſerunt, vel cum laudato *Sylvio* malunt non eſſe Medici, quam opio carere; aſt tamen de funeſtis eventibus itidem loquuntur Autorum quampluri-

morum

morum annales. Multos enim Hydropicos vel granum unum hujus morti obtulit, cum elaſticitatem tollat, & jamjam coagulatum ſerum magis ad coagulationem diſponat. Habet hac de re exemplum *Waldſchmidius Oper. Med. Pract. Part. II. Diſſert. XIIX.* ubi narrat Doctorem quendam aſininum Diviti ægro Requiem Nicolai præſcripſiſſe, atque etiam ſopore ad veram requiem deduxiſſe. Similiter Phthyſicis illud viaticum eſſe ad vitam æternam annotavit *Wedelius Opiolog. L. 2. Sect. 3. c. 3. & Rolfinc. Chim. in A. F. R. L. 4. Sect. 3. c. 6.* quando exſpectorationem inhibuit, eosque ſuffocavit. In viſus imminutione & auditus difficultate idem *Waldſchmid* peſſimum obſervavit uſum ejus, qui & vidit mulierem hæmorrhagia uteri laborantem opiatorum uſu in cæcitatem incidiſſe; ut taceam alia quamplurima exempla funeſta, tam ibi quam alibi prolixius notata. Unde vel maxime cautela illa attendenda eſt, quam modo laudatus Dominus Præſes l. c. dedit his verbis: *Ego Opium quoties copioſius datur, & non cum certa & experientiæ manifeſtæ indubia atque ſenſibili, præcipui primarii affectus vera ſimul mitigatione materiali, ſed potius cum verorum hujus motuum præjudicio, boni viri remedium non eſſe audacter aſſero.* Et ſic cum cæteris omnibus Medicamentis comparatum eſt, & vel ipſa decantata Chin China ſi vel non recto tempore, vel nimis parca doſi, non purgato antea corpore, vel ante paroxyſmum febricitantibus exhibetur, tum vel maxime exaſperari febrem, ſymptomata ingraveſcere, imo plures ægros mori annotavit *Sydenham. de Febribus.* Alias quamplurimas Cautelas obſervandas impoſſibile eſt ubique curioſe annotare, unde illud *Galeni* proſtat: *Multa ſunt in Praxi, quæ nec dici nec ſcribi poſſunt.*

§. XX.

Cum igitur tanta Cautela atque circumſpectione opus ſit in curandis morbis, merito quæras, an non huic difficultati ſubveniat alia curandi ratio, nempe per Medicinam aliquam univerſalem, quæ omnibus corporibus, omnibus morbis, poſthabito alio curandi metu ſufficiat? Quæſiverunt id multi cum *Raimundo Lullio*, *Arnoldo Willanonano* atque *Paracelſo*, eamque Medicinam vel ex auro, vel mumiis, vel aere, aliisque parare deſudarunt, ſed infelici cum ſucceſſu, cum nemo hujus frugi virorum ſe æternitati donare potuerit, imo ipſe Paracelſus in flore ætatis optimo fatis ceſſerit. Manet ergo & permanet is ſaltem felix Medicus, cæteris omnibus infelicibus exiſtentibus, quem paucis verbis, ſed prolixo pondere deſcribit Magnif. Dn. *Bergerus diſſert. de Medico Naturæ adjutore.* Talis vero non tantum ægritudines animi pariter ac corporis harumque cauſas, & nocendi modos, ac ſigna quibus hæ omnia deprehenduntur, judiciaque quæ nos vel metu terrent, vel ſpe conſolentur; ſed etiam cunctas hujus univerſi partes quibuscum cohæremus, ac præſertim aeris, temporum anni, aquarum, locorum, adhæc foſſilium, animantium, herbarumque, quibus ſanitas vel alteratur, vel læditur, vel cuſtoditur vel reficitur & inſtauratur, naturas & vires callere, & quæ doctrina ac inſtitutione, & labore uſuque artis præcepta præſidiaque didicit, ea ſolerti judicio atque perſpicaci adhibere & applicare debet. Hæc qui omnia ſcit, non arcanis opus habet, qui vero iſtæc quærit, illi non alia inſervit reſponſio, quam hæc, quam dare ſolet *Magnif. D. Vater Præceptor meus quoad aura*

hac

hac ſruar ſincero animi cultu colendus: Diſce meam medendi Methodum, & habebis mea arcana.

§. XXI.

Hactenus igitur omnia illa vitia narravi, quibus tum Medicus Empiricus, tum quoque alius indoctus notari debet, quæque quam maxime faciunt, ut ampla tragicorum Effectuum exempla redundent in Medicinam. Sed & Medicos intendum doctos hic lapillum conferre ſuum non eſt quod dubitemus, cum & hi non ſine vitiis vivant. Sunt vero hic in cenſum vocandi illi, qui negligentia ſua arduam ſatis jacturam inferunt ægrotis, quam ideo turpiſſimam vocare fas eſt cum *Seneca Ep. 1.* Vocatur Medicus ἰατρὸς ἐπικαιρότατος à *Pindaro*, & ſymbolum Medici & ducis idem eſſe debet, ne quis eorum aliquid procraſtinando agat, cum elapſa occaſione, quam præcipitem & celerem vocat *Hippocrates*, morbi facilius in deterius vergant; præſertim cum quorundam indoles ita ſit comparata, ut omnem deinde curam reſpuant. Innuit id ipſum Poeta Perſius ſat. 8. ſic canens:

Helleborum fruſtra cum jam cutis ægra tumebit
Poſcentes videas; venienti occurrite morbo.

Jubet id quoque Divinus *Cous L. IV. de vict. rat.* ſcribens: *In omnibus morbis, potiſſimum in quibus vehementia febris ſubeſt, tempus adhibendi Medicinam maximam habet facultatem.* Patet ergo inde quam male illi agant Medici, qui ingruente curarum nutrice, mollem lectum ſaluti ægri præferunt, vel alio quovis injuſto modo ſe irretiri patiuntur, qui certe non alio ſoſtro donandi eſſent, quam Hæpheſtionis Medicus apud *Curtium*, quale ei dare juſſit Alexander, quod in curando negligentior fuiſſet.

§. XXII.

Adhæc Medicus Moroſitate ſua ſe plane non condendat apud ægros, ut apud quos Comis atque gratioſus eſſe debebat, ſi confidentiam eorum, quæ multum ad curam confert, acquirere ſtudet. *Quis enim phrenetico Medicus iraſcitur? quis febricitantis & frigidâ prohibiti maledicta in malam partem accipit? Hunc affectum adverſus omnes ægros ſuos habet Medicus, quorum nec obſcœna, ſi remedio egent contrectare, nec reliquias & effuſa intueri dedignatur, nec furore ſævientium excipere convitia*, inquit *Seneca de Conſtant. Sapient. c. 13.* Hæc ipſa comitas locum habeat quoque, ſi communicatio plurimorum Medicorum ad ægri lectum ſuſcipitur; quo modo vis unita fortior fit: ſed ſi altercationes procedunt, quæ vel maximum ad contemptum Medicorum præbent calculum, uti doctisſime demonſtravit ſæpe laudatus *Dn. Præſes in Progr. de Diſſenſu Medicorum*, tum haud raro dubius æger in mortis periculum conjicitur, ut locum inveniat illud, quod ſepulchro ſuo Imperator inſcribi juſſit. *Turba medicorum me perdidit.* Sed hæc, hujusque tenoris alia hic loci inquiri non debent fuſius.

§. XXIII.

Atque his omnibus jam ſatis ſuperque perſpectis, quivis facilè cognoſcit cauſam, cur hodie Medicina, imo & olim non tanti æſtimata fuerit, quanti merito æſtimari debebat. Innuit eam jam ſuo tempore Divus Senex quando ita ſcribit: *Medicina omnium artium præſtantiſſima eſt; verum propter ignorantiam illorum, qui eam exercent, & ob vulgi ruditatem, quod tales pro medicis habet, jam eo res devenit, ut omnium artium longe vilisſima cenſeatur.* Atque hanc ob cauſam non immerito *Raimundus Mindererus*

rus lugentem inducit Medicinam, quod à quibuscunq; Sycophantis, judæis & mulierculis, & id genus aliis hominibus tractetur. At enim vero, etiamſi maximus in Medicina abuſus per hos ipſos irrepſerit, non tamen is, cum multorum ignorantia præſtantiſſimum uſum tollet. Induxerunt multi purgantibus hypercatharſin alvo, & opiatis ferream noctem oculis; ſed num propterea & purgantia & opiata, aliaque egregia medicamenta è catalogo remediorum rejicientur? Abſit; nam horum Medicamentorum Divinam opem cum rectâ ratione adhibitam jam ſupra vidimus. Optandum ergo potius eſt mihi, ut quivis æger Medicum omnibus numeris abſolutisſimum nanciſcatur, quanquam hic lucernam accendere fas eſt, & quærere cum illo ἄνθρωπον ζητῶ. Talem enim qui invenerit, agnoſcet cum *Seneca Lib. VI. de benef. c. 15. emi à Medico rem inæſtimabilem vitam ac valetudinem bonam, neque eidem unquam mercedem meriti perſolvi poſſe. Maxime cum is* uti pergit *plus impendit quam Medico neceſſe eſt: pro me non pro fame artis extimuit: non fuit contentus remedia monſtrare, ſed admonit. Interea ſollicitus aſſedit; ad ſuſpecta tempora accurrit: nullum miniſterium oneri illi, nullum faſtidio fuit. Gemitus meos non ſecurus accepit, in cura multorum invocantium ego illi potiſſima cura fui: tantum aliis vacavit, quantum mea valetudo permiſerat.* Tali Medico fideli pariter atque docto non tanquam Medico ſolum, ſed tanquam optimo Amico obligati ſumus, neque unquam eidem majorem, nedum parem gratiam referre poſſumus. Ut enim patris beneficia à filiis beneficiis vinci non poſſunt, quia ille vitam dedit, ita nec Medico in majus gratia referri poteſt. Solet enim & Medicus vitam dare, inquit idem *Seneca L. III. d. Benef. c. 25.* Hæc agnoſcere oportebat quivis cum Seneca

neca, ſed vix milleſimus eſt qui agnoſcit. Equidem, quando mortis periculum admotum eſt, propius medicorum genua tangunt, ſi metuunt capitale ſupplicium, omnia ſua, ut vivant, parati ſunt impendere, loquente ita eodem *Seneca de brevit. vit. c. 8.* ſed cum ſani facti ſunt levior pluma eſt gratia, atq; non raro antiqua illa Ironia locũ habet:

Dantur Coquo minæ decem, Medico drachma,
Adulatori talenta quinque, Conſultori fumus,
Scorto talentum, Philoſopho triobolum.

Hæc ſunt inevitabilia praxios tædia, quæ Medicis etiam optimis tanquam pilulæ ægris deglutienda potius quæ maſticanda offeruntur. Utut vero adeo rara atque parva ſit ægrotantium gratia; major tamen erit Benedicto Altiſſimi, quam tanquam umbram corpus fidelem Medicum ſequi eleganter deſcribit Helmontius in *Tumulo peſtis*. Placet ob elegantiam omnia illius verba adſcribere, & ita Diſſertationem finire. *Electum Divinitus Medicum ſua ſequentur ſigna & prodigia præ ſcholis. Is enim ad honorem Dei præparabit dona ejus ad ſolamen proximi: ideoque commiſeratio erit Dux ejus. In corde enim poſſidebit veritatem, & ſcientiam in Intellectu. Charitas erit ſoror ejus, & miſericordia Domini illuminabit vias ſuas. Ille enim erogabit gratiam domini, & non erit ſpes lucri in cogitationibus ejus. Dominus enim eſt Dives & liberalis, dabitq; centuplum in menſura cumulata. Sua opera fœcundabit, manus ſuas unget benedictione, replebit os ſuum conſolationibus, & tuba verbum ejus, à qua fugient morbi, Longitudine dierum implebit vitam, domum ſuam divitiis & filios ſuos timore Domini, veſtigia ſua adferent felicitatem, & morbi in conſpectu ejus tanquam nix in meridie æſtatis valle aperta. Maledictio & punitio fugient, & ſanitas ſequetur eum à tergo. Hæc ſunt promiſſa Domini medentibus quos elegit.*

Hæc ſunt L. B. quæ de Cauſis Effectuum Tragicorum culpa Medici inductorum differere placuit. Rectant ergo adhuc præcipua capita, qui nempe culpa ægri & adſtantium, quin & incidentium rerum fieri ſolent effectus æq; graves atq; tragici; ſed hæc ut prolixa nimium in futuros reſervare labores animus eſt, cum & quæ jam dixi, ſtudio contracta et brevisſimis incluſa volui cancillis. Sit interim pro conceſſis hucusque viribus.

SOLI DEO GLORIA!